



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 91. Jaurinum a Cæsareis obsessum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI.
A.C. 1597.

§. XCI.

Jaurinum a cæsareis obsessum.

Thu. 1. c.
Struv. tom. 2.

Capta hac urbe Maximilianus Archidux die decima tertia Septembris cum suo exercitu Jaurinum contendit hancque urbem obsidione cinxit: cum vero Turcæ ad primum occursum urbes erumperent, cæsarei longius, incautiuraque abrepti, atque ad ipsa mœnia penetrantes a circumfusa Turcarum multitudine profligati sunt, imo ipsemet Vincetius Gonzaga Mantuæ Dux, qui Pontificiis copiis præerat, cum circa mœnia exiguo comitatu stipatus equitaret, abs dubio captus fuisset, nisi Colonitius tempestive advolans ipsum discrimini subduxisset. Interea obsessi intra urbem haud procul ab illa porta, quæ Albanam Græcam ducit, tam altum erigebant aggerem, ut continua tormentorum explosione haud leve obsidentibus damnum inferrent: haud tamen minor erat Cæsareorum industria in parandis ad obsidionem necessariis; omnium enim sedulitas eo intenta erat, ut fossæ, valles, aggeresque festinato opere excitarentur. Palfius, ut hostem forte ad obsessorum auxilium accurrentem profligaret, cum suis Budam versus excurrebat, obviosque ducentos Turcas ad interuicium delevit, cum opima præda

in castra reversus: inde vero ad majora tentanda animatus, aucto suorum numero in quodam campo inter Vicegradum, & Pesthum Janissaros Jaurino opem laturos adoritur, eosque ad primum impetum fugientes usque ad Tartarorum castra insequitur, ipsosque Tartaros securitatis fiducia sopitos cædit, castrisque exiit, necnon præter ingentem prædam plurimos Christianos a Turcis captos libertati restituit: insuper Bernesteinius arcem prope Sancti Martini cœnobium, quod sanctum Pannoniæ Montem appellant, oppugnare molitur, eo quod Turcæ, qui eo loco validum tenebant præsidium, assiduis excursionibus plurimos in captivitatem abduxissent, qui tamen suis viribus diffisi arce relicta in proximam sylvam aufugerunt. Interea per exploratores nuntiabatur, quod Mahometes Bassa cum toto exercitu Jaurinum versus contenderet, eapropter Maximilianus Archidux, cum resistendo impar esset, obsidionem solvit, variis impedimentis, ne hosti usui essent, incensis, quo comperito turcæ ex urbe erumpentes, ægros, aliosque, qui lentius incedebant, aggreduuntur, pluresque ex illis vel crudeliter trucidant, vel captos abstrahunt: inde vero Maximilianus trans Danubium Comorrhæm versus die vigesima

Sæcul.XVI.
A.C.1597.

Spond. lxxx
ann. n. 18.

Sæcul. XVI
A.C. 1597.

quarta Septembris recessit, Turcis interim ad Tatam, seu Theodatam castrametantibus, urbemque in opposita Danubii ripa Australi sitam cingentibus. Præerat huic urbi nuper recuperata Christophorus Veida, qui nullam strenui Belliducis partem prætermittens crebras hostium oppugnationes fortiter repressit: cum autem Turcæ cuniculis jamjam actis validius arcis propugnaculum evertissent, habito prius Belliducum consilio cum suis præsidiariis, qui numero trecenti erant, clam die secunda Octobris noctis beneficio egressus Danubium versus contendit, urbemque vacuum Turcis reliquit. Hoc tamen longe molestius Christianis accidit, quod interim Persarum Legati cum Turcis pacem firmassent.

§. XCII.

Temesvaria irrito conatu a Sigismundo Bathorio obsessa.

Havæusianal. Brab.
p. 535.

Postea Maximilianus Archidux, qui in adversa Danubii parte subsistebat, promotis castris Watziam descendit, Turcis autem Pesthensi urbi appropinquantibus, arce deserta, flammisque absumpta, ad borealem Danubii oram Strigonio oppositam retrocessit. Sub idem tempus Sigismundus Bathorius Transylvaniae Princeps die duodecima

Se-